Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Non oblecteris super impios. si non est timor dei cum illis. Non credas uite illorum et ne
respexeris in labores illorum. Melior est enim unus timens deum quam mille filii impii.
et utilius mori sine filiis quam relinquere filios impios. Ab uno sensato inha
bitabitur patria. et a tribus impiis deseretur. Multa alia uidit oculus meus. et for
ciora horum audiuit auris mea. In synagoga peccantium exardebit ignis. et in
gente incredibili exardescet ira. Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gygan
tes. qui destructi sunt confidentes sue uirtuti. et non peregrinationi illorum pepercit.
et percussit eos et execratus est illos pro superbia uerbi illorum. Non est misertus illis
gentem totam perdens extollentem se in peccatis suis. et sicut sexcenta milia peditum
qui congregati sunt in duricia cordis sui. et si unus fuisset ceruicatus. mi
rum si fuisset inmunis. Misericordia enim et ira est cum illo. potens exoratio et ef
fundens iram. Secundum misericordiam suam sic correptio illius hominem opera sua iudi
cat. Non effugiet in rapina peccator. et non retardabit sufferentia misericordiam fa
cientis. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. et
secundum intellectum peregrinationis ipsorum. *Nichil absconditum adeo uero.*
Non dicas adeo abscondar. et ex summo quis mei memorabitur. In populo
magno non agnoscar. Que est enim anima mea in tam inmensa creatura.
Ecce celum et celi celorum. abyssus et uniuersa terra. et que in eis sunt in conspectu
illius commouebuntur. Montes simul et colles et fundamenta terre. et cum conspe
xerit illa deus tremore concutientur. et in omnibus his insensatum est cor. et omne
cor intelligitur ab illo. et uias illius quis intelliget. et procellam quam nec oculus
uidebit hominis. Nam plurima opera illius sunt in absconsis. sed opera iusticie
eius quis annuntiabit aut quis sustinebit. Longe enim est testamentum a qui
busdam. et interrogatio hominum in consummatione est. Qui minoratur corde
cogitat inania. et uir imprudens et errans cogitat stulta. *De disciplina*
Audi me fili et disce disciplinam sensus. et in uerbis meis *discenda.*
attende in corde tuo. et dicam in equitate disciplinam. et scrutabor
enarrare sapientiam. et in uerbis meis attende in corde tuo. et dicam in equitate